Iuſtitia reſpectiva non iuſtitia.

natu per cauſas, ſed per perſonas. Leges haud contemplantur, neque exponunt iuxta acta reorum, ſed iuxta auctoritates delinquentium. Virgam ferunt tamquàm iuſtitiæ ſignum: & multoties ferunt & non ferunt; quoniam ferunt in pauperes, ſed non in divites. Virga iuſtitiæ non eſt Lesbia regula, ſed adamantina, adinſtar Ezechielem *inter terram, & cœlum* conſulto poſita, quam nec movet ſursùm celſitas, neque deorsùm humilitas. Nec aſcendit, nec deſcendit, ubi ius dicit; etenim cauſas & non perſonas agnoſcit. Haudquaquàm flectitur precibus, nec curvatur auctoritatibus: etenim virgam ſolummodò fert, ut cauſarum promat ius: iudiceſque ubi intuitu peculiari exhibent leges, virgam non ferunt portantes; quippequàm propter pœnam venerantur pauperes iuſtitiæ virgam: verùm potentes vel criminibus palàm fiducialiter rident, quaſi virgam miniſtri non haberent.

Ezech. 8.3. *Sit immobilis.*

Venerantur pauperes, ſpernunt divites.

14 *Virgam tantùm. Neque virgam.* Informatur Apoſtolatus ut clareat qualis legum uſus & abuſus, & ſit in iuſtitia modus. Virgà adſtringit iudex ſubditos legibus, ne declinet ab iniunctis obligationibus, quippe ſine virgæ poteſtatis rationali timore, viverent proculdubiò ſine lege. Ferre virgam, eſt exequi quod iuſtitia iudicat; non ferre, omittere iudicata: & poteſt ferre & non ferri, dum iudicia vacant ab executione; ſiquidem iuſtitiam proterit crimen, quaſi in vindictam virga non haberet poteſtatem. Virga tantùm portanda eſt, ut qui iudex, iuſtus ſit. Si affectio in cauſis intromittitur, virga tantùm non portatur. Iuſtitia erit iuxta leges, affectio iuxta iudicantium opiniones: & virga tantùm in cauſis ferenda, modò exequenda iuſtitia; quippe iudex, perperàm iudicabit, ni quod iuxta leges tantùm iuſtitia decreverit: etenim tunc iura fulminabunt leges, & non iudices.

Iuſtitia ſine poteſtate proteritur.

Iudicent leges, nequaquã opiniones

15 *Virgam tantùm*: ideſt, non duplicem, ut vidimus, virgam, ſicut nec binam tunicam. Quid quòd duplex ſit virga iudicis, ſi occurrunt peccata commiſsionis, atque omiſsionis? Virga duplex eſt fallax, quippe abominabile pondus & pondus, menſura & menſura. Duplex virga eſt ſignare in æqua iuſtitia decreta iniqua, quia inæqualia; cùm iudicatur ſecundùm auctoritates reorum, & nequaquàm iuxta æqualitatem legum, humilibus habens unam, Magnatibus legem aliam. Reſpectus in ſententijs atque ſuffragijs iudicum, eſt ruina legum: & prohibet Chriſtus in cauſam, duplicem portare virgam; quippe tunc iuſtè decernitur cauſa, ſi iuſtitia decernens omnibus æqua.

Iuſtitia omnibus æqua.

16 Ideo duplex prohibetur tunica & duplex virga. Sicut virga eſt ſignum poteſtatis, ita tunica eſt ſymbolum intentionis. Tunica exterior eſt legis inviolabilis præſcriptio. Tunica autem interior iudicantis affectio: & ubi Chriſtus tradidit in virga iudiciariam poteſtatem, interdicit iudicibus tunicam duplicem; quoniam lites dirimendæ iuxta leges, neutiquàm iuxta affectiones: ſecundùm iura clara quæ patent oculis, haud iuxta affectiones, quæ latent in corde iudicis.

Iuxta ius perſpicuũ haud iuxta occultum intentum.

Denique. In his verbis clareſcit maieſtas iuſtitiæ & Principis. Duplex virga dupliciter legem reſpicit, proterendo quam ſtatuit. Cogitat non quæ lex, ſed quo modo aptanda ſit. Intuetur peccatorum facies, & non tranſgredientium leges. Unica ſatagit de tenore legum, ut faciat rectè iudicium. Duplex cogitat diſcrimina longa inter propria acta & aliena. Unica eandem ſibi & reliquis reſpicit legem: & Chriſtus ferre vetat virgam duplicem; quia ius non eſt, quòd aliam legem ſibi, qui iudicat habeat, quàm qua cæteros iure ſeverè iudicat. Vernaculè: *No es razon, una ley para sì, y otra para los demàs.*

Lex diverſa ſibi & alijs non eſt lex.

17 Infelix fœmina ſiſtitur Chriſto, quæ modò deprehenſa fuerat in adulterio. Moyſes præcepit huiuſmodi lapidari. Quid ergo, dixerunt Servatori N. Phariſæi, promes ex iure? Brevi ſententia. *Qui ſine peccato eſt veſtrum primum in illam lapidem mittat.* Subtrahunt diabolo hi crimnoſi & criminatores officia, ut impleant hypocriſi tribunalia: etenim arte in adulterium induxerunt mulierem, ut poſt factum accuſarent. Proinde Iudex, quem nihil latet, protulit: Qui veſtrum à culpa vacat, primum in miſeram lapidem mittat. Cur ergo Chriſtus ſuffragatur indulgentiæ, parcendo fœminæ crimini, ſi crimine iuxta legem debet mori? Debet mori ſcelere iuxta leges, ſed eodem crimine obſtricti erant iudices, fœminæ criminatores: & Chriſtus fœminam crimine abſolvit, quam lex lapidandam iurè decrevit; quoniam ius non erat, quòd lex unica aliter iudices exponerent ſibi, & aliter iniquè interpretarentur fœminæ. Ius eſt, quòd pœnà pereat, quæ priùs culpà, & legis tranſgreſsione perijt; verùm extra legem, cùm iudex officium accuſatoris admittit. Ius eſt, quòd puniatur peccatrix, attamen non ius, quòd à peccatoribus: ius, quòd luat abundè pœnas criminis, cæterùm nequaquàm per legis prævaricatores: etenim in ſe & fœmina eandem reſpicientes cauſam, portabant virgam, & virgam. Non debent leges eſſe ſicut fluctus maris, qui in mari formantur, & ibi franguntur. Hinc pro iudicio detonat procella vel commotio, qua iuſtitia ſummergitur, quia à miniſtris iuſtitiæ virga pro utilitate curvatur. Perperàm damnat nocentem idem habens crimen: quantumvis innitatur præſcriptione legis, non eſt virga directionis cùm debeat diſcere ex damnationis ſententia, quo modò à ſe expellenda ſint crimina. Aſtruit Dux N. Benedictus ubi ſupr. *Cùm de alienis ratiocinijs cavet, redditur de ſuis ſolicitus: & cùm de ad monitionibus ſuis emendationem alijs ſubminiſtrat, ipſe efficitur à vitijs emendatus.* Ut rutilet iuſtitia,

Ioann. 8.7. *Unde in malitia hominis officium dæmonis.*

Ius reſpectivum inter iudicem & iudicandum, omninò perperum.

Leges ut fructus maris.

Malè damnat nocentẽ, idem habens crimen.

S. Ben.

Ovid.

Sit ſine labe toga.

Non poteſt ullam auctoritatem habere ſententia, ubi etiam qui damnandus eſt, damnat. Audite vel Ethnicum Satyr. 2. v. 68.

Iuven.

——*Nudus agas. Minus eſt infamia turpis.*
En habitum quo te leges, ac iura ferentem.
Quid non proclames, in corpore iudicis iſta.
Si videas?

DIDASCALIA V.

Detractio lethaliter tres inficit uno flatu.

Bernar.

1 SEntentia & gnome inſignis Melliflui Doct. de *Modo benè vivendi* cap. 17. Quid faciet ictu, qui ita virulentus flatu? Quantum & quale in cæteris vulnus, ſi ſe tollit bibendo vomitum virus? *Quid tibi vitandum* (ait Seneca Lucilio *Epiſt.* 7.) *præcipuè exiſtimes, quæris? Turbam. Ego certè confiteor imbecillitatem meam. Numquàm mores quos extuli, refero. Aliquid ex eo quod compoſui, turbatur: aliquid ex his quæ fugavi, redit. Quod ægris evenit* (*quos longa imbecillitas uſque eo affecit, ut numquàm ſine offenſa proferantur*) *hoc accidit nobis, quorum animi ex longo morbo reficiuntur. Inimica eſt multorum converſatio. Nemo non aliquod nobis vitium, aut commendat, aut imprimit, aut neſcientibus allinit.* Quid verius? Experientia docet, quàm vera dicit: ſiquidem unico verbo ſe virulentum oſtendit, audienti officit, & abſentem interimit.

Peiores à converſatione eximus, quã introimus.

Senec.

2 In fumo incenſi figurabatur apud Hebræos abolitio peccatorum. Unde in feſto expiationis dicitur: *Nullus hominum ſit in tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur.* Cur igitur fumus & non flamma eſt expulſionis indicium, ſi charitas multitudinem operit peccatorum? Haud in caſſum *domus repleta eſt fumo*, ubi Iſaias emundandus erat à peccato: etenim ſi fumus ſenſationem oculorum impedit, & lachrymari facit; aptiùs peccata plorantur, dum non videntur. Fumo repletur domus, quando à pœnitente confitendus eſt lapſus, & *Væ mihi* præ dolores ſiquidem tunc aufertur iniquitas. quùm fumo doloris, qui deliquit in lege, fugit ad lachrymas. Crimina delet ſine ambiguitate pœnitudo, ſed ingreditur pœnitudo ſub ſilentio, quod comitatur verecundia facti, repræſentantis vividè crimen, dum intuetur etiam erga delinquentem pro murmure charitatem: & ubi agendum de Prophetæ peccato, domus tota eſt plena fumo, lumen oculorum impediente, ac lachrymas excitante; quoniam ut crimina deleantur non curioſè inſpicienda, ſed deploranda: etenim plura peccata delerent; ſi qui vident, abſconderent, & plorarent. *Veſtimentum ad induendum*: dicit Iacobus. Iurè. Hoc eſt veſtimentum charitatis. Non ad induendum eſt veſtis detractoris: igitur ſi charitas videt peccata, ut abſcondat; detractor abſcondit, ut oſtendat. Illa operit vulnera, & demonſtrat bona: hic abſcondit veſte bona, ut patefaciat vel curata vulnera.

Levit. 16. 17.

Iſai. 6. 4.

Melius peccata delẽtur, ubi abſconduntur.

Peccata aliena non curioſè inſpicienda, ſed deploranda.

Gen. 28. 20.

Diſcrimẽ inter veſtem charitatis & detractoris.

3 Purpurà apud Ægyptios ſignata lingua maledica. Vide Pierium Valerian. *lib.* 28. *cap.* 69. Nec abs re. *Lingua purpuræ* (inſit Plinius lib. 9. cap. 36.) longitudine digitali, qua paſcitur, perforando reliqua conchylia. Tanta duritia aculeo eſt. Pudet, quòd quæ ſanguine præclaro nitet, haud habeat linguam, niſi ut reliqua perforet, & dum in lingua claret ſanguinis pretium, pro lingua oſtentet aculeum: verùm luit pœnas per proprias iras. *Purpuræ captura* (ait Pierius ibid. cap. 70.) *in hunc ſæpiùs efficitur modum. Strombus piſcis includitur: hunc avidiſsimè captat purpura, quem ſimulac illuc occluſum olfecerit, inſertà per naſſæ iuncos linguà, eum aſſequi contendit, dumque ille volutatione luctatur, ea magis ac magis lingua protendit: accidit verò ut in eo conatu tumefiat, ut nulla eam extrahendi copia relinquatur, atque ita detenta per linguam captiva fiat.* Obſerva vividam analogiam inter detractorem & purpuram. Haud poteſt refugere linguæ ictus vel piſciculus occluſus: imò ut pungat, non expectat quòd agnoſcat: ſatis illi, quòd olfaciat. Punget profectò ſi obviaverit; & aculeum infiget, quia receſsit. Nil tranſit, quod

Pier. Val. Plin.

Quare detractor confertur purpuræ.

Pier. Val.

Captura utriuſque.

Lingua detractoris crudelis.

quod non terebret : per cuncta eſtò dura tranſit : obvia mordet. Hæc nota detractoris auctoritati, quæ pudor purpuræ ; ſiquidem cùm purpura habeat ſanguinem pretioſiorem, nil eſt à quo non eliciat punctione ſanguinem. Ideo Legifer N. Glorioſus Doctorum Doctor Ss. Benedictus *Regul. Sanct.* cap. 4. *Inſtrum.* 40. Monachum iubet, *Detractorem non eſſe* : quoniam dum alios perdere linguà intunderit, linguà peribit. Per linguam purpura captiva fit. Ineſcatur morſu, & ineſcata decipitur ; quippe capturà capitur. Ita conatur cuſpidem linguæ in ſcopum figere, ut agitatione nimià intumeſcat in ore : unde hieroglyphicum vivax detractorum, qui qua cuſpide figunt, linguà figuntur.

S. Ben.

Qua figit, perit.

4 De echinis marinis ait Plinius lib. 9. cap. 32. *Echini, quibus ſpinæ pro pedibus. Ingredi eſt his, in orbem volvi.* Non poſſunt greſſu movere pedes, quia introrsùm proprijs lacerantur ſpinis. Sæpeſæpiùs detractores per linguam rotant, hinc inde errant, & ne ſint in perniciem, devolvuntur in orbem. Spinas habent pro pedibus, ex greſſu pleni doloribus : ſiquidem quemlibet deliberantes motum, infelices uſquequaquè punguntur. Nequeunt configere alicubi aculeos, quia transfigunt mucronibus ſemetipſos, & ſeſe rumpunt ſpinis : cæterùm cùm detractores ferantur dulcedine ferculi converſationis ; in illam voluptuosè dirigunt motum, etſi rumpantur.

Plin.

Cur ſimilis echinis marinis.

Figit aculeum, etſi rumpatur.

5 Phrenetici vocantur à Plutarcho libell. de *Audiendo.* Sufficit, ni fallor, in pœnam, eorum cognoſcere inſaniam. Audiamus cauſam. *Illis ſicut phreneticis amara videntur omnia.*

Phreneticus eſt.

Plutarc.

Ut benè loquatur, ſentiatque Mamercus,
Efficere nullis Aule moribus poſsis:
Pietate fratres Curtios licèt vincas,
Quiete Nervas, comitate Ruſſones,
Oratione Regulos, iocis Paulos,
Rubiginoſis cuncta dentibus rodit.
Hominem malignum forsàn eſſe tu credas:
Ego eſſe miſerum puto, cui placet nemo.

Martial

Nemini placet, cui placet nemo.

Canit propoſito Martialis *lib. 5. Epigram.* 29. Minimè pendet amaritudo à qualitate eſcæ, ſed à palati dominante amaritudine. Hæc ab ſtomacho : & iurè detractores conferuntur phrenetico ; quippe ſi illis amara vel dulcia (quoniam amara præcordia) ubi loquuntur clareſcit in ore, non alio modo quam ſervabatur in pectore, verbis exprimentibus cordis amaritudinem, & ſimul cogitationis phreneſim.

Detractori vel dulcia videntur amara.

6 Prævaricati ſunt filij Iſraël adorantes vitulum aureum, quaſi lateret peccatum deaurando idolum. Sibi fecerunt & prævaricati ſunt à ſemitis legis, tamquàm omnia licerent propter adorationem imaginis: ſtudiosè deaurant, quod adorant : etenim ni operiretur, averteret vultum, quod alliciebat affectum. Quàm fallax intuitus in adoratione operum! Alij colunt, quod alij & meritò abominantur. Ita Moyſes ; qui *arripiens vitulum, quem fecerant, combuſsit & contrivit uſque ad pulverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Iſraël.* Omnibus præbuit in potum, ut diſtingueret, quinam adoraſſent vitulum : etenim ut profert Abulenſis hìc ex Rabb. ora delinquentia apparuerunt aurata, miſsis in faciem, quæ fovebant corda. Sæpe adoratoribus flagellum & ſupplicium, propoſitò adoratum idolum ; ut deſignet ſtomachi amaritudo, quàm ingrata deſipientis electio. Vernaculè: *Su mal guſto.* Conſideremus articulum ut fugiamus toto conatu maledicum.

Exod. 32. 20.

Sæpe erigentibus ſupplicia elevatis idolum.

7 In os erupit aurum potum, vel adorationis delictum. Moyſes in potum dedit, ut in ſeipſis peccatum abſconderet; & in labia erupit, quod condebat pectus ; quia nihil poteſt ferre detractoris ſtomachus. Haud ſedet placidè, quod deglutitur, ut in pectoris penetralibus ſervetur : igitur cùm guſtata provocent in faſtidium, omnia vomunt. Si aliquantulùm remanet, ingratè ſapit. Provocat, quia venenum, in nauſam ; ut educat indecoctum in linguam : igitur deficiente charitatis igne, vel verba audita nequit infirmitate decoquere. Uncinus, hamus, vel illex eſt converſatio : quare levi audito proximi verbo, nil remanet in ſtomacho. In faciem irroravit potum aurum ; quaſi deaurando verbum, labia non oſtenderent delictum. Quid in alium, ſi de ſe peccatum dicit? In ſtomacho detractor nihil retinere poteſt. Quid non proferet de proximi actione, ubi ſervare nequit quicquid ſervatur in pectore? Vel non eſt de quo loquatur, vel in labium egredietur : etenim ſi aliquid noverit, illicò in labijs clarebit. Verbum auditum, malignum urget in verbum : unde per os Moyſes cognoſcit delictum ; quippequàm cum lingua verbi indicet neceſſariò quicquid latet in corde ; delictum adorationis in ſtatuam, fuit primum quod illorum venit in buccam.

Detractor omnia vomit. Vel proprium defectum dicit.

Vel quod primùm in buccam venerit.

8 Ulteriùs. Malignè idololatrarum pectus celabat, quod Moyſes crimen ſcire cupiebat. Imaginatio, ſeu Iſraëlitarum phantaſia, architectationis vituli fuit officina : & cùm Moyſen laterent occulta pectoris, dedit potum, ut aurum rutilaret in labijs: igitur ex ore eorum aptiùs cognoſci quibant, quæ imaginatione delinquentes cogitaverant. Ratio ſuppetat. Sunt voces mutæ, quibus loquitur impulſu ſecreto cor. Interprete ad earum expoſitionem opus eſt. Haud ſat ſuſpicionis divinatio, ut intelligantur motus pectoris idiomate proprio. Solummodò lingua vividè exponit, quodcumque intra abdita ſtatuit. Cogitatio ceſsit idololatra adorationi vituli, quem minutum dedit illis, ut pateret in ore ; quoniam pectus in lingua clarum nanciſcens interpretem, in ore manifeſtabit occultam cogitationem.

Vel propriæ cogitationes profert.

Et lingua tacente dicit.

9 Cæterò. Sicut per pulſum arteriæ, cognoſcitur motus cordis integrà vel ægrà valetudine; ita clareſcunt per verba, quid habeant introrsùs corda. Quodnam cor eſſet læſum per adorationibus ſacrilegum cultum; Moyſi vindici idololatriæ, erat incognitum: & præbet vituli pulverem, ut labia cordis dicerent adorationem : etenim ſi corda exponuntur per labia, & in verbis clarent pectora ; per ipſum dumtaxàt labium, cognovit ſanè quis pectus haberet putridum.

Pectus putridum eius verbum.

10 Denique. Iuxta & modo quo concipit homo, loquitur, & cor per verba foràs egreditur : homo itaque ſolùm poteſt loqui quod concipit, ſiquidem per eos propoſitum mentis exit. Quodlibet verbum eſt ſpeculum mentis. Quælibet vox diſrumpit velum cautionis : gnomon eſt indicans verberationis pulſum, quo gaudet in pectore rationale cordis animatum horologium. Sibi nocet detractor, quia venenum demonſtrat, ſi pectus nudat : igitur dedecus obtinet, dum impingit ; ſeipſum ſaucians, alterius famam denigrans : reſpiciturque in labijs læſio putrida pectoris ; quippe ſicut erat in pectore manifeſtabitur ore, minimè proximi devenuſtans honorem ; ſed oſtendens in labijs cordis putredinem. Dicit Martialis lib. 7. *Epigram.* 9.

Quo læſa patent viſcera.

———Ole quid ad te,
De cute quid faciat ille vel ille ſua?
In lucem cœnat Sertorius : Ole quid ad te;
Cùm liceat tota ſtertere nocte tibi?
Septingenta Tito debet Lupus: Ole quid ad te?
Non tu propterea, ſed ille pauper erit.
Illud diſsimulas ad te quod pertinet Ole:
Quodque magis curæ convenit eſſe tuæ &c.

Mart.

In aliquibus eſt os putridum, haud quia in eo aliquod computruit ſecretum ; ſed quia gravis odor oritur ex viſceribus. Eundem fontem habet affectus phyſicus, ac moralis. Totum pendet à malignitate pectoris. In viſceribus eſt origo. Si viſcera tabent, verba ſimiliter malè olent : & offendit halitus ex ore obtrectatoris egreſſus ; quoniam verba ita virulenta & nocua, ſolùm habent originem viſcera putrida.

Verba malè olent, quia viſcera tabent.

11 Varia erat lepra apud Hebræos; & ſicut illa, detractio apud homines varia. Alia erat *lepra lucens*, de qua infrà num. 24. Alia *volatilis*. Ecce rumuſculus ſuſurronis. Notitia quælibet eſtò vulneret, & famam denigret, nihilominùs volet. Non credent multi, ſed credent alij : & eclipſim patietur proximi claritas, quandiù examinatur veritas : quinimò numquàm redit integra ſemel elapſa. Venit Helene, ſi abit Penelope. Nulla reparabilis arte, ſi ſemel læſa. Hinc difficulter reſtituitur fama.

Levit. 13. 2. 57.

Detractio lepra.

Heu quàm difficile eſt gloriæ cuſtodia!
Ad calamitatem quilibet rumor valet.

Pub. Syr

Inquit Publ. Syrus. *Lepra volatilis* eſt, quippe ſcopticus cavillator ex animo mordebit, quicquid occurrerit. Alia *lepra mundiſsima*. Mundiſsima & lepra? Quis itaque leproſus, ſi leproſus mundus? Indicatur quid in innocentem fiat per detractionem. Lepra eſt, cæterùm lepra ad ſpeciem. *Non lepra*, inſit Alapide, *ſed purgatio* : igitur ſi datur purgationi locus ; qui mundi habentur, apparebunt leproſi, & qui leproſi, mundiſsimi. Non lepra, ſed purgatio: diciturque *lepra mundiſsima*, quia in obiectis nec materia. Lepra ab ore murmurantium : mundiſsima, quippe affectus nec veſtigium. Lepra, quoniam vellent maligni detractos lepra teneri : mundiſsima, quia obiecta quæque ab illis, patent decori.

Verſ. 15
Facilè volat infamia.

Alapid.

Tandem tandem opprimitur calumnia.

12 Alia lepra eſt candida: & ſolicitè Sacerdos inſpiciet, ubi *candor apparuerit*. Hæccine peſtilentior obtrectationis ſpecies, ſcilicèt ſub demonſtratione candoris. Videtur candor, & non candor quod videtur. Non eſt candor, ſed puris color : ſiquidem ſub ſpecie candoris apparet viſcerum ſanies. *Dum pus conficitur maximi dolores* : ait Hippocrates lib. *6. Aphoriſm.* In morbo ex confectione & in confectionem puris, maximi dolores : in calumniatore ex doloribus oritur confectio puris. Iam materia vomicæ decocta, ſi apparet candida. Fugit oculus, quia prævidit latere venenum. Fugit naris, quippe præcavet contagium. Qui laborat vomicà, intimè pungitur : & ubi apparet candida, magis timetur ; igitur quod rutilat uti candidum, eſt pus confectum. Candida lepra eſt: attamen lepra, eſtò candida. Patet, dum loquitur, igitur per os fœtida ſanies emittitur. Quod auditur ut vox, tantùm eſt pus: & clareſcit per vomitum virus, quid ſub candore confovebat pectus. Haud periclitatur affectus morbo, ubi per os fit puris præcordiorum expulſio : verùm anima leproſa detractorum emoritur, dum venenum thoracis per os emittitur.

Verſ. 38

Sub ſpecie candoris apparet viſcerum ſanies.

Hippocr.

In ore maledici quod auditur ut vox, tantum eſt pus.

13 Cognità leprà (igitur in cognitione le-

Verſ. 46 / *Eius conſortium contagiũ.*

lepræ eſt maxima medicina) ut converſationem fugiamus obtrectatoris, contemplemur erga leproſos latas leges. *Solus habitabit*, & *extra caſtra. Solus*, etenim eius ſocietas non conſortium, ſed contagium. *Solus*, ut omnes cognoſcant, & illum fœtidum fugiant. *Solus*, quoniam mala pecus: & *extra caſtra*, ne debacchetur in proximos peſtilentia. *Solus*, quia qui leprà laborat, ſolus habitat. Ego arbitror peſtilentiæ ſignum; ut qui viderit vagantem, fugiat halitum: quippequàm frequenter leproſos, qui errat hinc & inde vagus. Occupationi murmurationis incumbit, qui nullam habet. Ideo additur: *Quicumque maculatus fuerit leprà, habebit veſtimenta diſſuta*. *Maculatus* dicitur: meditanter, ut ſciat cavillator ſcommate quamlibet converſationis munditiam, eſſe maculam. Hiſpan. *Que no es gala lo critico, ſino mancha.*

Sæpe qui ocioſus, maledicus.

Verſ. 45

——Non eſt iocus eſſe malignum. (Senec.)

Bellus homo: & validè capitalia crimina ludis:
Deque tuis manant atra venena iocis.

Proximi dedecus illi videtur iocus.

Ita queritur Seneca *Epigram.* 5. in Præfat. lib. *Conſol. ad Matrem Helv.* Habebit ergo leproſus veſtimenta diſſuta, ut per illa cognoſcantur verba: frequenter namque ſtudet in detractionem, qui conſcientiæ habet diſſutam veſtem. Vernaculè: *Deſgarrado.* Nonnumquàm mordax cui nec ius, nec lex; quin cogitet per veſtem diſſutam, pectoris malignantis cognoſci lepram.

Ibidem.

14 Ittem habebit leproſus *caput nudum*. Caput nudari, eſt ſubijci legi: caput operiri, eſt proprià duci in ſenſum cogitatione: & caput leproſum nudandum, ne ſit leproſum; equidem debet ſequi vel contra viſa legem, minimè cogitationis libertatem. *Perverſitatis origo exponitur*: infit hìc Rodulphus N. Fuldenſis. Neutiquàm abdatur qualis radix in dedecore. Prodeat origo deturpatæ famæ. Refulgeat claritas, quoniam artifex maculæ leproſi cordis perverſitas: etenim haud loquitur quia dedecus videat, vel infamatus habeat; ſed quia caput leproſum perversè cogitat. Caput nudum comitatis eſt ſignum; & docemur, quando ius eſt ſuſpicari contagium: quippequàm qui urbanitatem fingit, magis nocet: etenim ſubſequitur lingua detractoris ſub obſequio leproſo comitatis.

Rodulphus. *Haud quia videat, ſed quia cogitat.*

Ibidem.

15 Denique: Habebit leproſus *os veſte contectum*. Quid? Nec miſeriæ ſuſpirium habebit exitum? Aër, qui reſpiratione renovatur, eſt ſubſidium pectoris, ac refrigeratio æſtuantis calore cordis. Quia ita gravatur, nec reſpirare conceditur? Iurè. Haud lex impedit, quòd refrigerium ab aëre leproſus recipiat, ſed quòd proximis aëris mutuà reſpiratione ne noceat: etenim leproſi, cùm peſtilens habeat pectus, ni os tegatur conſultò, necabit flatus.

Vel flatu detractor necat.

Subinde. Ora tegit immundus leproſus, quia leproſus & immundus. Calumniator eandem habet affectionem, ſed eandem non habet legem. Vel apices actionum expoſitione notat, vel minuta diſceptat, vel intentione explorat. Si qui mundus detraheret actionum integritati, causà æmulabilis vitæ, eſſet ſanè crimen; ſed aliquantulam haberet excuſationem: cæterùm cui pectus immundum? Abeat & meritò ad corvos. Habeat os veſte contectum: etenim ſumma pervicacia, atque frontis impudentia, quòd plenus leprà uſque ad os ulcus habeat, & ut cæteros carpat, os inverecundè aperiat.

Plerumque carpit calũniâ, qui plenus leprâ.

16 Ultrà. *Habebit os veſte contectum.* Si os occluſum non haberet, aërem reſpiratione corrumperet: igitur tabeſceret illæſum, halitu peſtilenti præcordiorum, cùm non quem accepit, remitteret aërem; ſed pro anhelitu præſentaneam luem. Aër eſt quo homo vivit: ſed ubi peſtilens, aëre perit: unde præcipitur leproſo, oſtia claudere oris, quoniam ni clauſerit, erit peſtis. Dialecto Hiſpan. vigilantiùs: *Se le manda que cierre la boca, porque ſino cierra la boca, apeſta.* Os habebit contectum: & ſubditur: *Contaminatum ac ſordidum ſe clamabit.* Quomodò clamabit, ſi habet os contectum veſte? *Nutu*: inquit hìc Abulenſis. Haud deficit huiuſmodi ingenium detractoribus. Etiam ſciunt murmurare nutibus.

Verba illius non verba, ſed peſtis.

Ibidem. / Abulen.

Inſere te turbæ, leviterque admotus eunti,
Velle latus digitis & pede tange pedem. (Ovid.)

Inter Phariſæos, crucifixo Domino, aliqui loquebantur linguà, & alij movebant capita. *Contaminatum ac ſordidum ſe clamabit.* Ecce in detractorem medicinam, quòd cognoſcat, nimirùm, habere lepram. Haud audebit os aperire in proximum, ſi ſe cognoverit ſordidè contaminatum: & tunc liberabitur à contagio, quia principium ſalutis infirmitatis cognitio. *Contaminatum ac ſordidum ſe clamabit.* Quid clamabit? Eſſe ſordidum, laborare peſte. Chald. *Fugite, Ne accedatis*: igitur quiſquis vel compaſsione acceſſerit, immundus verbo redibit.

Detrahit etiam nutu.

Cognitio infirmitatis initiũ ſalutis.

17 Se clamabit contaminatum & ſordidum: ideò os veſte habebit contectum. Qui os habet contectum aut occluſum, haud potens eſt loqui verbum: hac lege conſulitur proximorum ſaluti: etenim ſalus

Beneficiũ commune detractorem non poſſe loqui.

lus publica, leproſum non poſſe loqui. Os teget, ne loquatur, qui leprà languet: venenum præſens eſt, velociter ſerpit: & ne contrahatur à Republica contagium, à leproſo detractore neque verbum eſt audiendum. Leprà contaminatum ſe habebit, & os claudet. Ore nocet. Cogitatur inſtrumentum medicaminis etiam in beneficium detractoris: igitur os quod non obturat fama decora aliena, obturabit pudicè lepra propria. Os habebit contectum, dum alloquitur alium. Potiùs videbitur introrsùm muſsitatio, quàm ad extra locutio: & leproſus habebit os obturatum veſte, quia nequaquàm indulgendum muſsitare, neque os aperire: ſiquidem cunctos inficiet peſtilentià, ſi vel in verbum explicuerit labia.

Ab illo nec verbum audiendum.

Os eius patens ſepulchrũ.

18 Intelligitur modò, unde in Davide tantæ origo formidinis, quæ videbatur aptiùs cauſa levitatis. Semper itaque vel ex levitate magnum à lingua mala timendum. *Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & doloſi ſuper me apertum eſt.* Hoc ni fallor eſt certamen prudentis, in quo etiam patet malignitas peccatoris: ſiquidem patitur obtrectationem, per id quo meretur & apud Dominum laudem. Audiatur Seneca *Epiſt.* 20. & 47. *Levis eſt malitia: ſæpe mutatur, non in melius, ſed in aliud. Variatur quotidiè iudicium, & in contrarium vertitur, ac pleriſque agitur vita per luſum.* Si vivit ille ſibi. Si non vivit. Si ſic vanus, ſi econtrariò tetricus. Si ſtudet, ſi non ſtudet. Si loquitur, ſi non loquitur. Si genio indulget, ſi parcit. Quomodò hoc intelligendum? Quotidie (haud eſt ephemerum) uſquequaquè, ſequenti verbo variatur iudicium, & vertitur in contrarium. His ſanè vita per luſum. Neſcio, an hoc intuitu de Monachis Cœnobitis, dixerit S. Benedictus *Regul. Sanct.* cap. 1. *Fortiſsimum genus* Monachorum. Tot habent genios, quot ſocios, & quod alijs placet, alijs diſplicet, & ſæpe diſplicet, quoniam alijs placet. Quid igitur faciendum? Voces abdicendæ debacchantium? Curſus ſequendus adinſtar Phœbes, quantumvis oblatrent canes? Nihil æſtimabile cogitarent homines in honorem, ſi colloquentium rumuſculos aucuparent. *Quomodo hoc fiat, ſapientia ſola monſtrabit. Difficile enim temperamentum eſt* (ait Seneca *Epiſt.* 14.) *utendumque, ne in contemptum nos invidiæ timor transferat: ne dum calcari nolumus, videamur poſſe calcari. Multis timendi attulit cauſas, timeri poſſe. Undique nos reducamus: non minùs contemni quàm ſuſpici nocet. Ad philoſophiam ergo confugiendum eſt.* Errat. Confugiendum eſt: ubi vera habetur laus.

Pſalm. 108. 2.

Concinnatur detractoris virus ex materia plauſus.

Senec. / *Cuncta eſtò contraria notat.*

S. Bened.

Laus quæratur in Deo, non in mundo.

Senec.

19 En veram laudem: ſcrutemur igitur Prophetæ timorem. *Os peccatoris & doloſi ſuper me apertum eſt.* Verùm quid? Quid quòd illi loquantur, ſi Deus habetur? Aperitur? Aperiatur. In apertione oris non eſt periculum. Maximum. Qui non cavet, profectò peſtilentià peribit. Nil mirum. Ubi detractores linguis doloſè agunt, *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* Fœtent ſepulchra cadaverum corruptione: dum aperiuntur, nocent halitu peſtilentiæ: & non timet Pſaltes regius venena viſcerum, ſed quod os in halitum ſit apertum; quia quòd illi arbitrantur reſpirare præ dolore, eſt mundum contaminare. Crimina aptè vocantur in ſepulchris corrupta cadavera. Tunc igitur innocua, ubi in loculis pectoris manent ſepulta. Os aperire, eſt illa manifeſtare: & David ſibi timet de corruptione; quippequàm crimina uti cadavera ſolummodò nocent, quamdiù patent.

Pſalm. 5. 11.

Ne noceant crimina lateant ſepulta.

20 Exponatur intuitus. Os aperire, eſt incipere loqui, eſtò malitia iam obtinuerit ingenio maiorem detractionem ore clauſo: & David haud formidat aliquod verbum prolatum, ſed tantùm quod os apertum; & quia aperire labia, eſt effundere venena; & quia nemo liber à peſte, ſi incipiunt loqui: igitur os non aperiunt, niſi ut alij corrumpantur. Noſtrates: *En abriendo la voca, peſtilencia.* Idem igitur timetur ab ore, quod à peſte. Os aperire, etiam in Scriptura ſignificat admirari, & deridere. Unde Ieremias: *Aperuerunt ſuper nos os ſuum omnes inimici.* Opportuna utique intelligentia præ detractorum induſtria: etenim os aperiunt, dum loquuntur, non ſolùm quia detrahunt, quod alij mirantur; ſed quia ipſis quæ mirantur, & quoniam mirantur detrahunt.

Nemo liber à peſte, ſi incipit detractor loqui.

Thren. 2. 46.

Vel quæ miratur, rodit.

21 Denique os aperire, ſignat in Scriptura fallax blandimen, & ex corde præ miſeria compaſsionem. Hinc ibidem dicitur: *Plauſerunt ſuper te manibus omnes tranſeuntes per viam: ſibilaverunt, & moverunt caput ſuum ::: Aperuerunt ſuper te os ſuum omnes inimici tui.* Patet maledicorum propenſio, ubi quod blandimen exponitur ſibilatio: quandoquidem dum magis blandiuntur, tutiùs detrahunt. Quare dum aperiunt labia, ſutela ſemper timenda: igitur quod magis rutilat ut obſequium; non obſequium cenſendum, ſed ludibrium. Os aperiunt, dum loquuntur. Vitium pulſat cor vel compaſsione lapſi, vel lapſus gratulatione. Pro complexione pectoris exhibetur triſtitia charitatis, vel fomes murmura-

Cap. 2. 15. 16. *Etiam in obſequio formidandus.*

Crimina notat, ut derideat, & rideat

rationis : & ubi os peccatorum aperitur, malum ingens à Davide formidatur ; haudquaquàm quia contechnantur, dum blandiuntur, ſed quia ubi alij loquuntur, ſi loquuntur, ut compaſsionem moveant ; vociferantur detractores, ut derideant.

Unde tanta detractorum ſeges? Senec.

22 Unde, inquires tanta malitia ? Refrigeſcit charitas, quoniam abundat iniquitas. *Qui peccare ſe neſcit* (infit ex Epicuro Seneca *Epiſt.* 28.) *corrigi non vult. Deprehendas te oportet antequàm emendes. Quidam vitijs gloriantur. Tu exiſtimas aliquid de remedio cogitare, qui mala ſua virtutum loco numerant* ? Minimè dulce ferculum converſationis ſine grano ſalis : & etiam ſal inſipidum ſine aliquantula mordacitate piperis. Ignis fatuus dicitur, ut vidimus hìc *Tautolog.* 2. *Didaſc.* 1. n. 28. qui lucet, & non urit. Ecce origo detractionum, ſeſe oſtendere in converſatione facetum : quis igitur non intendet in murmurationem, dum non urere iudicant detractores fatuitatem ? Qui ſales inquirit, mordacitatem intendit : & ſæpe vel invitâ Minervâ aliquid amarum evomit pectus, ne qui loquitur rectè, iudicetur ſtultus.

Omnia videntur illis inſipida, ſine pipere.

Quæ lingua cœleſtis? Act. 2. 3 Chryſoſt. *Quiſnã ignis fatuus?*

23 De cœlo deſcendit in cœnaculum Apoſtolorum ſumma charitas, quæ patefacta mundo per linguas ignitas. *Apparuerunt diſpertitæ linguæ tamquàm ignis. Non ignis, ſed tamquàm ignis* (infit Chryſoſt. Serm. in *Pentecoſt.*) *Si ignis, quomodò non ardebant* ? Ut in illa ſola proprietate ignis, indicis charitatis, fierent linguæ hominum linguæ cœleſtes: etenim planè de cœlo, ubi in hominum conſortio, minimè lingua tendit in operationum turpitudinem, ſed in proximi ſplendorem. Fatuus iudicatur iſthic ignis, in calliditate humanæ converſationis: equidem ſi non urit in colloquio dicacitas, planè linguarum iudicatur fatuitas. Criticis mundi haud placet eloquentia linguarum cœli. Qui urit ſapit, qui ſine ſale deſipit: igitur tollit inter criticos, ſæculi Catones, palmam, qui pipere verbi alludit ad ignominiam : amittetque plaudentium optatam laudem, ſi remiſerit uſtionem. Haud eſt diverſio meditata converſatio, igitur modò detractores luceant, non curant quòd alij ardeant : quin cogitent ſtultiſsimi illos ardere in alieno ſplendore, cùm ob linguam ignitam, qui inuruntur ab illis, magis ſplendeant. Canit Ennius:

Non nocere proximo, iudicatur in fatuatio.

Dotium manat à detractione ſplendor.

Quaſi lumen de lumine accendat, faci.
Ut nihilominùs ipſi luceat, cùm accenderit. Ennius.

Levit. 13. 2.

24 Inter ſpecies lepræ erat, ut vidimus, lepra lucens. *Quaſi lucens quippiam, ideſt plaga lepræ.* Exprimitur in periodo, qualis obtrectantium cogitatio : etenim quo modo lucet non cogitat, modò inter criticos luceat. Sanè lucet, cuius alterum & meritò puderet. Sæpe malè audit, qui malè loquitur. Plauditur pro tunc cavillatio malitiæ, verùm deſpectus reſervatur in pectore : igitur cavillum extollitur, ſed cavillator deſpicitur. Hic plauſus titillat, quin os ferreum pudor aliquis compeſcat, cogitando, quòd alienam dicens maculam, propriam oſtendat detractoris lepram. Lucet, vel quaſi lucet, ſed per lepram lucet, quod eius amentiam notam omnibus facit : ſiquidem ſingularis notaretur inſania ; ſiquis ſibi gratularetur de lepra, & aucuparetur infatuatus ſplendorem, unde alij iurè averſarentur turpedinem. Tandem. Lepra uſtio cutis eſt. Si leprà detractor lucet, dum loquitur ; ipſemet detractione dedecoratur: quandoquidem parciùs pullularet lepra, ni proximi ſplendore ureretur uſque ad viſcera: imò ni haberet ex luce prurientem ignem, nequaquàm demonſtraret in lingua propriam uſtionem. Satis hæc pro Didaſcalia, Tautolog. ſeq. Didaſc. 1. dicemus reliqua: verùm inter ibi audiatur Martialis *lib. 6. Epigram.* 64.

Detractor lucet, cuius prudentem puderet.

Sibi detrahit, dũ alios carpit.

Sed miſerere tui, rabido nec perditus ore
Fumantem naſum vivi tentaveris urſi.
Sit placidus licèt, & lambat digitoſque manuſque, Martial
Si dolor & bilis, ſi iuſta coëgerit ira,
Urſus erit : vacua dentes in pelle fatigas,
Et tacitus quæras, quam poſsis rodere carnem.

DIDASCALIA VI.

Veſtis Ildephonſi gloriæ veſtis.

Cixil. *Maria honorificavit Ildephonſum.*

1 EXclamat Cixila in Vit. S. *Ildeph.* Iſte formoſus in ſtola ſua, igitur illi obviavit Virgo quaſi mater honorificata : & veſtis quæ à matre non tantùm charitatis, ſed decoris.

— *Saturatam murice pallam,*
Lucenteſque auro tunicas. Hoc neverat unum
Mater opus. Stat.

Canit aliò Statius lib. 9. *Thebaid.* v. 691. *Veſtis ad induendum* : dixit Iacobus. Haud tautologicè loquitur : igitur dum à Virgine-Matre Ildephonſus induitur, non ſolùm ornatur veſte ad corporis gratiam, ſed ad ſplendoris gloriam.

Geneſ. 28. 20. *Veſte inſigni.*

Hoc eſt cum miſeris ſolùm commune beatis, Ovid.
Ambobus tribui, quod ſolet obſequium.

Quaſi pignore gloriæ.

Accinit Ovidius lib. 5. *Triſt.* Eleg. 7. Idem obſequium fit homini in mundo, quo Angeli gaudent in cœlo, ut Ildephonſus vel in vitæ mortalis calamitate, aliquod pignus cœleſtis haberet gloriæ.

Raviſ. *Veſtes celebratę ab Antiquis.*

2 Verùm, qualis veſtis ? Dacantata fuit Antiſthenis, de qua Raviſ. Textor in *Officin.* lib. 4. cap. 96. *In illa variæ Deorum effigies erant depictæ. Hæc quotannis in Liciniæ Iunonis templo ſuſpendi miraculi causà ſolebat.* Pretioſum ſanè indumentum, quod oſtenditur cunctis tamquàm miraculum. Pretioſior utique veſtis Ildephonſi, quæ iurè cuſtoditur Oveti : etenim eius pretioſitatis viſione nec oculi digni. Purpura tragica, quæ olim Abolla (de qua videſis Martial. lib. 8. *Epigr.* 48. & Iuvenal. *Satyr.* 3. v. 115.) etiam celebris apud Antiquos, maximè illa Ptolomei Regis Ægypti, quam mirata Roma, & quia mirata offenſus Caligula. *Convertit omnium oculos fulgore purpuræ*: refert Suetonius in *Calig.* vit. cap. 35. Haud aliter contigit, dum veſtem Ildephonſi terra vidit : etenim plauſit veſtem populus Chriſtianus, & eius ſplendore eſt confuſus hæreticus.

Antiſthenis indumentum artis miraculum Sueton. *Abollæ purpuræ pretium.*

Saxo Grāmat *Veſtis Frontini*

3 Alia etiam veſtis prædicata à Priſcis, nimirùm Frontini, qua, ait, Saxo Grammat. *circumamictus nullo telorum acumine lædi poterat.* Quod de illa fictum, in veſte à Virgine verum : igitur dum conflictum cum hæreticis conſeruit ; hos Ildephonſus illæſus uſque ad ſatietatem vulneravit, arma confregit, & ſcuta combuſsit. De Mardochæo dicitur : *Fulgebat veſtibus regijs hyacinthinis videlicèt, & aërijs.* Aliqui, ut diximus *Tautolog.* 9. *Didaſc.* 7. n. 11. legunt: *Loleaceis.* Lolium quippe nocet oculis, & congruit proprietas veſti regiæ Ildephonſi ; victis hæreticis : equidem illorum offendebantur oculi, indumenti elegantià conceſsi à Virgine. Lumine vulnerabantur cæcutientes, & Ildephonſus percutiebat fulgore lucis : quandoquidem dignatus eſt ſtolà cœleſti, ut ille fulgeret, & hæreticos percuteret.

Eſth. 8. 15. *Veſte Virginis Ildephonſus fulſit, & hæreticos fulgore ſauciavit.*

Donum veſtis ſingulare.

4 Conſidera articulum. Defendit Virginis Matris honorem ſingularem, ſcilicèt Matrem-Virginem (de quo Nos *Tautolog.* ſeq. *Didaſc.* 5.) cùm ergo iam victor ad Eccleſiam deſcenderet, vel comitibus in limine fulgore retrocedentibus, impavidus accedens ad aram, Deiparam vidit, humiliter adoravit, & veſtem ab illa, qua in ſacrificijs uteretur, accepit : dicente Regina cœlorum: *Accipe de manu mea munuſculum, quod tibi de theſauro filij mei attuli.* Ita ex Iuliano Pomerio refert Zacharias Lippelous in *Actis Sanct.* tom. 1. die 23. Ianuarij. Cedat veritati exaggeratio Cattulli in *Nuptijs Pelei & Thetidos* v. 43.

Iulian.

Ipſius at ſedes, quacumque opulenta receſsit
Regia, fulgenti ſplendent auro, atque argento. Catull.
Candet ebur ſolijs, collucent pocula menſæ.
Tota domus gaudet regali ſplendida gazâ,
Pulvinar verò Divæ geniale locatur
Sedibus in medijs, Indo quod dente politum,
Tincta tegit roſeo conchylis purpura ſucco.
Hæc veſtis priſcis hominum variata figuris,
Heroum mirà virtutes indicat arte.

Altiora indicat veſtis à Virgine tradita, virtutibus dignati picta : etenim nulla aliarum veſtium pulchritudo, præut decor veſtis deſcendentis de cœlo.

Matth. 6. 28. *Specioſitas liliorum.*

5 *Conſiderate lilia agri* : dixit Servator N. diſcipulis, ut removeret ab eis moleſtias humanæ cupiditatis. *Conſiderate lilia.* Ne inter flores maior gloria ? Inter pulchriores, foliorum rutilat candor, & formæ elegantis decor. Amœnat oculos, & ſimul rapit, ut mirentur ſtupore, quod vident : igitur grana aurea argenti foliorum media, oſtendentia floris pretioſitatem, deſerviunt ampliùs in alboris pulchritudinem. *Conſiderate lilia. Dico* (ſubdit) *vobis, quoniam nec Salomon in omnia gloria ſua coöpertus eſt, ſicut unum ex iſtis.* Nec Salomon ? Profectò. Veſtes Salomonis recamaturis auri, atque unionibus politæ, proculdubiò exquiſitæ & magni pretij. Obvia cuique liliorum ſpecies : quare ergo nec Salomon in gloria ſua coöpertus eſt, ſicut unum ex iſtis ? Veſtis Salomonis eſtò pretioſa de terra. Lilijs è cœlo deſcendit veſtis & decoris forma: unde tantum diſcrimen inter veſtem & veſtem quanta diſtantia inter cœlum & tellurem.

Verſ. 29

Nulla veſtis vel pretioſa, cõparata cum cœleſti, pretio digna

Ildephonſus quare ſpectabile lilium?

6 Conſiderate Ildephonſum munere decoratum cœleſti. Contemplamini hoc lilium rationale politum à Virgine. Quomodò lucet ! Quomodò candet ! Quomodò veſte rutilat ſpecioſà ! Nec Salomon ita coöpertus in gloria ſua : equidem nihili penduntur momenta pretioſitatis, ſi occurrit in honorem veſtis cœleſtis : quippequàm videtur in mundo, quod ſine pretio rutilabat in cœlo. Non novum, veſtis cœleſtis in gloria. Mirum utique, ſi videtur in terra : & veſtis de cœlo mittitur Ildephonſo ; ut eius pateat tamquàm in lilio mirifica pulchritudo : etenim ſumma gloria, ſi veſtis gloriæ demonſtratur in terra. Indumentum eſt glorioſum, uti è cœleſtibus theſauris ſacro Pontifici miſſum. Cœleſte profectò munus.

Veſte glorioſus.

Summa gloria, gloriæ veſtis in terra.

Materiam ſuperabat opus. Ovid.

Cæterùm quænam materia ? Cœleſtis ? Nullo modo. Terrena, ſed dedit Virgo : unde

ſi veſtis ex manu & per manum Virginis, licèt eſſet terrena, ſanè cœleſtis.

1. Cor. 15.47.

7 *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis*, aſtruitur à Paulo, ubi de Chriſto, atque Adamo loquitur. Induit Verbum veſtem conditionis humanæ, divinæ quam habebat, peregrinæ, in Matris Virginis utero; & huiuſmodi ornatum Paulus aſsignat de cœlo? Terra erat animata, uti hominis veri caro, pendens à primo principio, ex cuius materia eſtò ſpecioſà & polità, eſt formatum primum opus, unde appellatur primus homo terrenus. Si veſtis Adami eſt ex terra, & Chriſtus per Virginem ab Adamo deſcendit, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo; quomodò habitus eſt cœleſtis de cœlo? Plura iam diximus *Tautolog.* 6. tam in *Didaſc.* quàm in *Litter. Expoſit.* Nonne è Virgine eius caro? Ideo illa caro de cœlo. Terra dedit materiam in veſtem Adami: Virgo autem in veſtem Chriſti: qui licèt ſit ab Adamo, eius caro dicitur iurè de cœlo; igitur ſat miniſtratam fuiſſe à Virgine, ut indumentum carnis indicaretur cœleſte.

Caro Chriſti cur dicitur cœleſtis?

Donum quodcúque à Virgine, planè cœleſte.

8 Eodem ſenſu Filius Virginis dixit: *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendit.* Audierunt Iudæi & illicò dixerunt: *Nonne hic eſt Ieſus filius Ioſeph, cuius nos novimus patrem & matrem? Quomodò ergo dicit hic: Quia de cœlo deſcendi?* Haud de propoſitione debitarent, ſi Matrem noſcerent. Panis erat in Virgine ſatus, & è Virgine natus. In cœlo erat, veſtem humanam ab illa & in illa ſumpſit, qua Deus hominibus homo apparuit: & dicitur deſcendiſſe à ſphæra cœli; quia veſtis texta in officina virginalis uteri.

Ioann. 6.41. Verſ. 42.

Corpus Chriſti cœleſte, quia ex Virgine.

9 De theſauris cœleſtibus veſtis glorioſa mittitur per Virginem Ildephonſo. Erit è cœlo? Sanè. Donata eſt ſtola iucunditatis à Virgine: & quicquid venit ad homines per Virginis manum, meritò demonſtratur cœleſte donum. Materia cœleſtis à Philoſophis dicitur incorruptibilis. Sacra veſti Ildephonſi hucuſquè manet. Adhuc ſplendens perſiſtit. Eſt terrea? Sit. Quid ex hoc? Amplior gloria, quòd materia ſublunaris videretur incorrupta. Haud fulgorem ex manutentione habet: à Virgine incorruptibilitatem veſtis accepit; ut cœleſtem homines venerarentur, cùm viderent expellere vel in terra impreſsionem peregrinam. Veſtis gloriæ erat veſtis Adami & uxoris. Unde ergo veſtium claritas, ſi induit eos *tunicas* tantùm *pelliceas*? Quid mirum, ſi ita lucent, cùm Deus dederit? Quicquid à Deo datum, ſanequàm eſtò terreum, cœleſte donum.

Unde veſtis Ildephonſi veſtis cœleſtis?

Geneſ. 3.21.

10 Uſitatum eſt apud Romanos in triumphis, vehi curru & ornari Capitolini purpurà Iovis. Unde Livius *lib.* 10. *Decad.* 2. *Iovis Optimi Maximi ornatu decoratus, curru aurato per urbem vectus in Capitolium aſcendit.* & Iuvenalis *Satyr.* 10. v. 36.

Triumphant purpurà Iovis Capitolini ornabatur. Tit. Liv.

Quid ſi vidiſſet Prætorem in curribus altis
Exſtantem, & medio ſublimen in pulvere
Circi
In tunica Iovis.

Iuvenal.

Cur non aliâ purpurà conſtat victoris ornatus? Ut per veſtem notetur inſignis triumphus, & triumphantis commendatio, quaſi tunica illa miſſa fuiſſet à Deo. Modò nota quid de Ildephonſo proferat ibid. Auctor præfatus: *Tanto eloquij decore celeber habitus, ut diſputationum eius profunda oratio dum porrectè dirigitur, non homo, ſed Deus per hominem eloqui, affatim crederetur.* Veſtitur Ildephonſus decore cœleſti, proſtrato ante pedes hoſte: & induitur Iovis tunicà, partà victorià, ut eius clareret inter Catholicos doctrinæ magnitudo, cui ad triumphum ex hæreticis veſtis decora deſcendebat de cœlo.

Quare?

Iulian.

Ildephonſo ad quid veſtis conceſſa de cœlo?

11 Veſtis elegans mittitur patruo ab Eſthere, quam renuit accipere, ſed perſtitit eiulans ſub cilicio & ſacco, ut animi per veſtem pateret amaritudo. Pòſt ergo, non ſolùm ſe induit veſtibus decoris; ſed *fulgebat veſtibus regijs, coronam auream portans in capite, & amictus ſerico pallio, atque purpureo.* Modò aſſumit veſtem purpuram, qui dudùm reiecit vel modeſtam? Prudentiſsimè. Dei erat in ſacco & cinere imploranda clementia, ne prævaleret adverſariorum malitia: quod concupivit, feliciter peperit; & veſtes regias atque fulgentes induit; ut tunica Iovis, inſigne triumphi, cunctis pateret in oſtenſionem victoriæ: igitur vel ſpectabilior haud eſſet honos, niſi poſt debellatos, & confuſos inimicos. *Sic tibi opus eſt* (ſubdit Maria) *ut benedictione tegminis, quæ tibi meritò data eſt, in meo tantùm die utaris. Meritò?* Utique. Nonne gratìs, ubi de cœleſtibus theſauris ſumitur veſtis? Nullo modo. Iurè Ildephonſus veſtitur de cœlo: etenim ſi ab illo vita Virginis, ſita in monili ſingularis puritatis, defenditur; meritò veſte cœleſti Ildephonſus induitur.

Eſth. 4. 4.

Ibid. cap. 8. 15.

Veſtis inſignis, victoriæ teſtis.

Iulian.

12 *Quid debet fieri viro, quem Rex honorare deſiderat?* Dixit Aſſuerus Aman. Tunc ille: *Debet indui veſtibus regijs.* Felicia utique regna habentur, ubi præmia dignorum benemerentium à Rege deſiderantur. Unde reperto digno ob malitiam miniſtrorum incognito, actutum honoravit, dicente vel inimico: *Sic honorabitur, quemcumque voluerit Rex honorare.* Perpende modò, ly *Debet indui veſtibus regijs.* Si ita honorat, quem voluerit, quo pacto honorare debet? Quomodò ſi gratia, uti voluntatis lex, exprimitur tamquàm ius? Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non eſſet gratia. Quo ergo iure gratia vocatur iuſtitia? *Debetur honos hic meæ vitæ conſervatori*: dixit Aſſuerus, uti refert Ioſephus lib. 11. *Antiquit.* cap. 6. Ei autem, qui operatur, merces non deputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum, quippe in iuſtitiam tranſit beneficium. Regis videbatur gratia erga Mardochæum nobilis magnificentia; verùm ab illo Regi conſervata vita, & honor regius, ne caderet perfidè coram inſidiatoribus: vocaturque indui veſtibus regijs, prudentiſsimè ius, quamvis ſolummodò gratitudinis ſit lex; igitur nobilioris tegminis debetur decor, cui debetur per fidem vita Principis & honor.

Eſth 6. 6. Verſ. 8.

Solicitudo digna Principis, conſulere benemeritis.

Verſ. 9.

Ioſeph.

Debetur iure, honorantē honorare.

13 Hinc intelligitur, cur interroganti Regi de præmio fidelitatis (quæ munerata donis) dixerunt miniſtri: *Nihil omninò mercedis accepit.* Nihil & collatis donis? Nihil. Haud æquè dignatur, præut merebatur fidelitatis articulus: induitque veſtem regiam, cui Princeps debebat vitam; ut obſequium ſpeciale pro vita & honore Principis, rutilaret in ſingularitate conceſsi muneris: ac clareret per donatam veſtem, cui debebat, & quomodò rependebat honorem. Favorem inſignem contulit Ildephonſo Mater Virgo. Ergo gratìs: ni gratìs, quid haberet munus favoris? Fecit gratiam, ut gratia regnaret in dignato per iuſtitiam, & illum induit veſte gloriæ, quia Ildephonſus indui debet. Debet? Sanè. *Per te vivit Domina mea, quæ cœli culmina tenet*: dixit Leocadia Ildephonſo. Vita Virginis ſtabat in honore Virginis Matris, qui aboleri cogitabatur ab hæreticis. Demonſtravit Ildephonſus Virginis ſummam gloriam, ſcilicèt, virginitatem fœcundam; ut cum flore virginei intacti pudoris, gaudia viderentur matris: & iurè induitur à Virgine veſte cœleſti, quia defendit vitam vitæ collocatam in honore. Multis favoribus dignatus fuerat Ildephonſus à Maria, at in tanta gratiarum copia, *nihil omninò mercedis accepit.* Nihil honorata mater contulit? Nihil profectò, quouſquè indutus virtute ex alto, ut dicerent tunicæ cœleſtis pretium, opus & fulgor, quis erat Virginis vitæ & honoris conſervator.

Verſ. 3.

Munus pretioſum dicit accipientis meritum.

Cixil.

Quare non gratia, ſed debitum, quòd Ildephonſus indueret tegmē glorioſū?

14 Pro æſtimatione veſtis, optimè ſe mihi offert, Cur illa Chriſti tunica manſit intacta, cùm eius reliqua partita ſint veſtimenta? *Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit*: dixerunt miniſtri. *A Virgine confectam*, aſtruit Bonaventura *Meditat.* cap. 3. *De cœlo miſſam*, aſſerit Goffridus Viterb. part. 14. Chron. videndi apud Theophilum Raynaud. in *Diptyc. Marian.* part. 1. punct. 3. num. 12. Utrumque amplector tamquàm cauſam integritatis tunicæ, & pretioſitatem doni: igitur ius erat, quòd illæſa permaneret veſtis cœleſtis, tradita Pontifici ſummo Chriſto per manus Virginis Matris. Oſsibus Ildephonſi illuſtrantur plures Eccleſiæ, uti Siſapona & Toletana: cæterùm tunica ſervatur integra in Camera Sacra Oveti. Corpus dividitur, & tunica reſervatur? Sanè: de cœleſtibus theſauris advecta à Virgine: & ius erat, ne ſcinderetur vel intuitu ſacræ venerationis, in diverſis Eccleſis; ſed quòd cœlum auſpicatò indicaret, cuius eſſet. Appoſitiùs quàm illa alia apud Senecam in *Medea*, Act. 3. v. 570. quibat dicere Ildephonſus, accipiens munus:

Ioann. 19. 24.

Bonavent.

Goffrid.

Cur veſtis ſacra Ildephonſi ſervatur integra?

Eſt palla nobis, munus ætheriæ domus,
Decuſque regni, pignus Æetæ datum
A Sole: gemmis eſt & auro textili
Monile fulgens, quodque gemmarum nitor
Diſtinguit aurum.

Senec.

DIDASCALIA VII.

Veſtis Amoris nulla.

1 INquit Chryſoſtomus *Homil.* 67. ad *Popul.* Unde ſubdit: *Tanta facilitate carnem exuamus, ſicut veſtimenta*: igitur licèt dolore deponatur, quippe proſcinditur; expellere debemus à nobis carnem, ut exprimamus flagrantem cordis amorem. Canit Ovidius lib. 2. *Amor.* Eleg. 9.

Chryſoſt.

Amor magis ornatus quà nudus.

Fige puer poſitis nudus tibi præbeor armis,
Hic tibi ſunt vires: hic tua dextra valet.
Quid iuvat in nudis hamata recondere tela
Oſsibus? Oſſa mihi nuda reliquit amor.

Ovid.

Coram oculis habemus Divi Bartholomæi martyrium, vel charitatis ingenium: ſiquidem ut pectoris æſtuantis explicaret cordibus frigidis ignem, excuſsit à toto corpore pellem: claruitque ignis abditi fulgor, dum oſſa nuda prorsùm reliquit amor. Per pellem ſignabantur apud Ægyptios, ut obſervat Pierius Valerian. *Hierogl.* lib. 34. cap. 46. & 48. *Bellicus apparatus, & mors.* Etiam *vehementiam charitatis*, aſtruit Voragine Serm. 4. *D. Barthol.* *Veſtem*, deſiderabat Ia-

Symbola pellis.

co-

Geneſ. 28.20.

cobus, ad *induendum.* Veſtem in tegminem nuditatis: aliter fit in oſtenſionem amoris: equidem ſi hominis decor indumenti ſpecioſitas, amori nuditas.

Quid Mundus Cereris? Greg. Gyrald.

2 Mundus Cereris dicebatur quædam feſtivitas apud Priſcos, *Eò quod occulta mundi Superiori, in lucem adducerentur*: ait L. Gregor. Gyrald. *Syntag. 6. Hiſtor. Deor.* Si per Cererem ſignatur panis, quaſi myſterium ſuperioris orbis; iurè plauſus, dum apparet mundo panis vivus, qui deſcendit de cœlo. Ideo uti felix numerabatur. Verè felices fideles. *Firmamentum cœli*, plaudit Bartholomæum Iacobus de Voragine *Serm. 3.* Videamus diligenter ſimilitudinem, ut miremur utriuſque claritatem. *Vocavit Deus*, dicitur, *firmamentum cœlum.* Gloſſa Magna hic: *Fecit firmamentum ſine pelle.* Ideſt, ſine velamine, obice fruitionis oculorum, in tanta copia cœleſtium luminarium. Poſuit Deus in luminibus nubem, poſt primùm crimen; ne abſcondita orbis ſuperioris homo videret, unde tot ſæculis non cognovit. Impreſſa fuerunt vulnera ſicut aſtra in firmamento Apoſtolatus, ut ſplendore illorum cognoſceretur Chriſtus, Deus ignotus; ſed in Bartholomæo fecit firmamentum ſine pelle; quia apparuerunt quæ latebant in ſphæra ſuperiore. Sciſſum eſt velum à ſummo uſque ad deorſum, ut per corpus, vulnus totum, totum rutilaret firmamentum: & eius martyrio revelata ſunt mundo lumina myſteriorum, quæ occulebantur in cœlo.

Cuius ſymbolū? Vorag. Geneſ. 1. 8. Gloſſ. *Cur Bartholomæus plauditur Eccleſia firmamentum?*

Lucan.

3 Peccato Adami, cùm cœlum eſſet liber, in quo lucidè legebatur Deus (vel Profanus cogitavit, lib. *9. Bell. Pharſal.* v. 593. canens:

Iupiter eſt, quocumque vides.
Superos quid quærimus ultrà?)

Apocal. 6. 14. Pſalm. 103. 2. Genebr.

Apparuit ſigillatus, igitur *receſſit ſicut liber involutus.* Venit Reparator Chriſtus Dominus, tollens peccatum mundi cœleſtis Agnus, qui aperuit librum cœlum, & ſignacula quibus erat occluſum: quo intuitu vaticinatus eſt Regius Pſaltes: *Amictus lumine ſicut veſtimento, extendens cœlum ſicut pellem.* Sicut pellem. *Cortinam propriè & velum. Cœlos ſicut cortinam abſque ruga ſummà æqualitate, amplè & latè extendit*: infit Genebrardus hìc. Omnia mirabilia occulta orbi claudebantur ſub huiuſmodi pelle. Non micabat plenum lumen Deitatis: nec erat lingua quæ eius exprimeret excellentiam amoris. Nubes & caligo ſub pedibus eius, quia poſuit tenebras latibulum ſuum, quandoquidem etiam additæ ſunt umbræ, quas peniculus noxæ deſcripſit in tabula idololatriæ. Mundus inquirebat lumen, pro myſteriorum prædicatione cœleſtem vocem, ut extenderet cœlum involutum ſicut pellem. Unde extenſa pelle Bartholomæi (ſicut cœlum extenditur) quod abſconditum in cœlo plene intelligitur; quippe eius prædicatione legit oculus, quicquid continebat cœlum tamquàm liber involutus.

Explicuit velum, myſterijs expanſum.

4 Præterea. Convertitur eius lucidà linguà citerior India, & apparent firmamenti aſtra, cuius ſplendor erudit multos, tenebris idololatriæ detentos, legentes in eius pelle, quod pro veritate fidei ſcripſerat ſanguine. Didicit multitudo converſa vincere dæmonem, cui priùs offerebat pectus adorationem, pelle viſa, qua illorum aperta lumina: & dicitur cœlum ſicut pellis extenſum; quaſi ad converſos ſuſcipiendos non ſufficeret ampla magnitudo cœlorum.

Plurimos in cœlum miſit.

Deinde. Scitum, ut urbs Carthago strueretur, ab Eliſa incolis tantum ſibi ſoli petitum, quantum taurina pelle poſſet circundare: quæ quidem in portiones tenuiſſimas diſſecta, ambitus urbis magnæ fuit menſura. Ideo in medio arcem conſtruxit, quam Byrſam à corio bubulo opportunè vocavit. Ieruſalem cœleſtis ædificatur ut civitas. Unum ex fundamentis Civitatis huius eſt D. Bartholomæus. Convertit innumerabiles, illicò ut in partes minutas conciſſa pellis. Quapropter opus fuit extendi magnitudinem cœli, prærut carnifex pellem extrahebat à corpore.

Qua induſtria?

5 Hic eſt bellicus apparatus per pellem deſignatus apud Ægyptios.

Cauſa bellandi eſt amor. Senec.

Hinc ut obſervat Novarinus *Schedíaſm. Sacr.* lib. 9. cap. 23. n. 116. Aſſyrij noverant per pelles (quas apud ſe habebant in æmulationem fortium) quis vel cadens in bello virtute meruiſſet plauſum. Haud pugnaverat India contra dæmonem, quia non noverat Chriſti fidem. Cognovit ut ducis Bartolomæi in virtutem vidit pellem; & excuſſit diabolicum iugum, ſtatim ac vidit pelle exutum Bartholomæum. Adinſtar ſerpentium iubet Dominus ſeſe gerere diſcipulos. *Stote*, ait, *prudentes ſicut ſerpentes.* Quorſum ergo? Ut illuminent cæcutienti fatuo mundo. *Membrana ſerpentium ſive ſenectus* (inquit Plinius *lib. 29. cap. 6.*) *vernatione eorum exuta, claritatem facit.* Exuviæ ſerpentium acuit oculorum aciem: & iubet Dominus diſcipulos imitari ſerpentem; ut Deo vivo & vero convertantur, qui idololatriæ caligine cæcutientes offunduntur: equidem Indi cognoverunt illicò Deitatem ignotam, ut viderunt Bartholomæi, quam excuſſerat pelliculam. Huic martyrio quod

Serpentis exuviæ viſum acuunt. Matth. 10. 16. Plin. *Converſa eſt India, pelle ab Apoſtolo detractâ.*

Apo-

Apoſtoli pertulit fortitudo tribuitur & iurè Indiæ Armeniæque converſio. *Ad Indos profectus* (ait Euſebius lib. 1. cap. 10.) *gentes profundiſſimis peccatorum & ignorantiæ tenebris involutam, luce veritatis illuſtravit, & è diaboli ſervitute in veram Chriſti libertatem vindicavit.* Quo ergo philtro gentes efferas domuit & à ſe fortiter traxit? Pellem dimiſit. Sit. Hinc manſuetudo? Profectò.

Luc. 10. 3.

6 Contemplemur igitur miſsionem Apoſtolorum, ut huius inclyti ducis celebremus triumphum. *Ite*, dicit Servator, *ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos.* Ad quid ergo? ut lacerentur, ut excorientur, ut vincantur? Haudquaquàm: ut inauditam conſequantur victoriam. Novum ſanè belli genus, & inſolitus præliandi modus, cum mittantur in totum mundum, & hunc varijs erroribus occupatum. Agnos inter lupos? Utique: ut rutilet ſingularitas victoriæ. *Maius certè, atque admirabilius* (inquit Chryſoſtomus Homil. 34. in *Matth.*) *mentem adverſariorum commutare, & animum in diverſum transferre.* Floridè quidem: verùm unde infert Chryſoſtomus animi commutationem, ſi Chriſtus mittit Apoſtolos ſicut agnos inter lupos? *Tympani tinnitu lupini* (infit Novar. ubi ſupr.) *trepidant oves: ovini verò manſueſcunt lupi.* Ecce Bartholomæi victoria per pellem parta: ſiquidem illicò ut dimiſit è corpore pellem, totius gentis efferatæ adeptus eſt converſionem. Haud ſatis luporum iræ mordere, trucidare & occidere, pellem ab agno cogitavit detrahere; ſed ceſsit in perpetientis honorem, dirum cruciamen: etenim vel concitati lupi victi ſunt ab agni pelle.

Chryſoſt. *Tympano ovino manſueſcunt lupi.* Novarin. *Victoria inſignis Bartholomæi.*

7 Quod lupis videbatur tormentum, Apoſtolo fuit lenocinium: ſiquidem vulneribus, quibus illi educebant ſanguinem, Bartholomæus demonſtrabat amorem. Elias ut aſcenderet inter globos ignis in æthera, dimiſit pallium: nequibat tantum ſuſtinere incendium. Ionathas præ amore in Davidem ſpoliavit ſe tunicà. Haud cohærent veſtis & amoris flamma. Cuius pectus amor urit, cutis aret: igitur dum flagrant pectus, pellis patet quaſi clibanus. Ita Bartholomæi clam facta amoris vehementia: equidem præ amore pelle detractâ, dinumeraverunt carnifices omnia oſſa.

4. Reg. 2. 13. 1. Reg. 18. 4. Iob. 7. 5. Thren. 5. 10. *Detractio pellis in lex intenſioris amoris.*

8 Aptè cadit pro Apoſtoli dilectione, querula ſententia Ieremiæ. *Vetuſtam fecit pellem meam.* Alij *Contritam, diſruptam, perforatam.* Unde tanta in corpore clades, ut forma eximia evaneſceret corporis? *De excelſo miſit ignem in oſsibus meis, & erudivit me.* Zelus tamquàm ignis eſt incluſus in oſſa, vidente Apoſtolo populum laborare idololatriâ. Intus urebatur. Extra in refrigerium egredi flamma nititur: & ut cor tanto incendio reſpirare poſſet, pellem omninò contrivit. Officijs charitatis incluſæ vel in medullis, obſequi intendebat idololatris, ut agnoſcerent veritatem, & veram conſequerentur ſalutem: ruptaque fuit pellis ignis virtute amoris in pectore æſtuantis; ut infideles Apoſtolus ad ſe traheret, & pòſt attractos amoris flammâ converteret. Ignis de excelſo miſſus latebat in oſsibus. Nonnumquàm flamma opponitur obicibus. Unde ut totus arderet, oppugnantes attraheret, & charitatis demonſtraret activitatem; ignis miſſus de cœlo dirupit pellem.

Thren. 3. 10. Ibid. 1. 13. *Dum nimius ardor cordis, rumpitur corporis pellis.*

9 *Erudivit* ignis, ſubdit. Quid erudivit? Pellis vitæ emblema eſt. Charitatis igne ardebat cor: quo quidem conceptus docuit in charitatis demonſtrationem, corporis expellere pellem: quandoquidem amoris gloria, tradere vitam non ſolùm in confirmationem veritatis, ſed etiam pro averſantibus idolatris. *Erudivit*, ſed novum aliquod & ſingulare, quaſi ſignum & vehementiam amoris ſummi: etenim ſublimen haud oſtenderet amorem, ni amor potiùs quàm tortor rumperet pellem. Tegit pellis interiora corporis, ubi concluſus charitatis ignis. Ignis incluſus oſsibus haud habet exitum. Bartholomæus conabatur in idolorum exterminium: & pellem à corpore detrahit, quam in manus carnificis depoſuit; ut vincerentur detractâ pelle idololatræ confuſi, flammis amoris proſilientibus ex corde. *Erudivit.* Singularis ſemper amoris ſchola. Pellem excutit, qui edit venena. Unde Ovidius de Hercule induto ſubuculà veneno tinctà Fab. 3. lib. 9. *Metam.* canit:

Amor facit diligentē ingenioſū. *Amor Bartholomæi eximius.* *Pellem amittit, qui venena edit.*

Qua vires defecto reddat amori.
Nec mora, lethiferam conatur ſcindere veſtem.
Qua trahitur, trahit illa cutem.
Aut laceros artus & grandia detegit oſſa.
——— *Coquitur ardente veneno.*
——— *Sorbent avidæ præcordia flammæ.*

Comedit peccata populi D. Apoſtolus, dum per illum & diabolus expulſus, & Chriſtus agnitus: & apparuerunt prorsùm crimina abolita, illicò ut illius pellis à corpore expulſa. *Erudivit*, quòd ubi charitas ſumma, vel indumenta ſuperflua.

10 Depoſuit Chriſtus *veſtimenta ſua* in cœnaculo. Haud alibi legitur depoſſuiſſe. Flagrabat amore: & ubi fervida flamma charitatis, vel onus veſtis. *Fervida* Bartholomæi dicitur *charitas* à Voragine ubi ſuprà. Quid mirum, quòd vel pellem exuat, cùm exceſsivè

Ioann. 13. 4. *Ubi charitas ſumma vel indumēta ſuperflua.*

vè diligat ? Detractio pellis non ſolùm indicat amorem, ſed etiam ſummum. Qui vulneratur, amorem dicit. Qui totus vulneratur, totum amorem oſtendit : & Bartholomæus ut ſummum vulneribus demonſtraret amorem; totius corporis lubens depoſuit veſtem.

Nec quicquam niſi vulnus erat : cruor undique manat.
Ovid.
Deiectique patent nervi, trepidæque ſine ulla.
Pelle micant venæ. Salientia viſcera poſſes
Et pellucentes numerare in pectore fibras.

Aptiùs quàm Marſiæ, dicam pro Apoſtoli pelle. Quæ non cogitat amor ? Vel in deformitate rutilat decor.

Ioann. 12.32.
Amor nudus trahit vel ingratos.

11 *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Dixit Iudæis Servator per illos cruciffigendus. Unde igitur huiuſmodi philtrum ligno crucis inhæſit, ut mundus totus poſt illum abiret ? An quia aſcendit nudus, quaſi præ vehementia amoris, inutilis veſtis ? Trahit fortiùs vel ingratorum pectus amor nudus. Alia latent. Cauſam exprimit Iſaias : *A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Quare Iudæorum ſævitià omnia eius numerata ſunt oſſa, *detracta pelle hoſtiæ,* ut deſcribitur cap. 1. *Levitici.* Ampliorem nemo deprompſit amorem ; & præ magnitudine expulit à corpore pellem. Offendebatur à Iudæis, quorum opprobria vel in tormentis, ſingularibus rependit beneficijs; igitur etiam vulnerantes amabat, ac vulneribus inflictis alliciebat : unde à toto corpore detracta propoſitò pellis, ut undique viderent manantes fontes pietatis.

Levit. 1. 6.
Vel in maiori iniuria, Chriſti rutilabat gratia.

Ut homines converteret, totum ſanguinem effudit.

12 Denique. Vulneribus profudit è corpore ſanguinem, ſed non totum : & detractà cruciatibus pelle, ad ſe in cruce traxit mundum ; quoniam peccatorum omnium conciliabat converſionem, profundere pro illis totum è corpore ſanguinem. Particeps gloriæ, effectus ſanguinis Chriſti, martyrium Bartholomæi. *Innumerabiles homines ad ſe traxit* : inquit Abdias Babylonicus in eius *Vit.* Non novum. Sanguinis emiſſio eſt infidelium converſio. Multo ſanguine creſcit ſeges : & ab Apoſtolo detrahitur cutis ; ut notetur fructus prædicationis : neceſſaria igitur erat converſio innumerabilium gentium ; dum detractà pelle, nec ſanguinis gutta fuit in foliculis venarum.

Abd. Babyl.
Sanguinis Bartolomæi emiſſio fuit infidelium converſio

13 Per pellem etiam ſignatur mortalitas : in huiuſmodi igitur cognitionem Adamum & Evam *induit* Dominus *tunicas pelliceas.* Unde ergo gloria Apoſtoli noſtri, ſi mors ſignatur in pelle ? Quia non induit, ſed exuit : & ſicut illi de immortalitate, veſte induti lapſi in mortem ; Bartholomæus pelle exutà nactus immortalitatem. Illi de gloria in pœnam : hic autem de pœna in gloriam. Illi de paradiſo deliciarum in miſerabile ſæculum ; hic verò de valle lachrymarum in paradiſum.

Geneſ. 3.10.
Dum ... ille exuit, immortalitatem induit.

14 Victima quæ offerebatur in holocauſtum, iurè nequibat habere corium. Quare dicitur filijs Aäron : *Si holocauſtum fuerit oblatio, detractà pelle hoſtiæ, artus in fruſtra concident.* Nonne ignis devorabit etiam pelliculam, ut totum cedat in Domini gloriam, & purget ignis, ſicut fictum in Hercule, quod mortale ? Succinuit Naſo lib. 9. *Metam.* Fab. 4.

Lev. 1. 3.6.

Intereà quodcumque fuit populabile, flammà
Mulciber abſtulerat : nec cognoſcenda remanſit
Herculis effigies, nec quicquam ab imagine ductum
Ovid.
Matris habet, tantùmque Iovis veſtigia ſervat.
Utque novas ſerpens, poſita cum pelle ſenecta
Luxuriare ſolet.

Haud alio intuitu victimæ detrahitur pellis : etenim ſi per pellem onus notatur mortalitatis ; ubi victima homo pro Deo moritur, quicquid mortale detrahitur? Non tam pro victima irrationali deſignata lex, quàm pro homine dum Domini victima martyrio fit : martyrio conſumitur vita, ſicut igne altaris hoſtia : & ab hac detrahitur pellis, quæ ſignum mortis ; quoniam vita tradita propter Domini fidem & cultus, nequaquàm perit, ſed mutatur in melius. Pellis induta portendit mortem, exuta immortalitatem. Videtur oculis inſipientium mori, & tunc incipit feliciter vivere ; ſiquidem cùm per mortem detrahatur mortalitas, & obtineatur paradiſi felicitas ; proijcitur victimæ pellis, ut appareat immortalis.

Ubi homo pro Deo moritur, quicquid mortale detrahitur.

15 Modò intelligetur, cur Iobus dum loquitur de corporis gloria, dicit amicis : *Rursùm circumdabor pelle mea.* Si pellis indicat mortem, glorià num nanciſcetur mortalitatem, vel immortalitatem? Hanc abſdubiè : quare igitur indui ſperat ipſamet pelle, mortalitatis indice ? Ut clareat gloria, qua illuſtranda rationalis victima. Si alia pellis, gloria haud eſſet ſingularis. Illuſtrare conatur Dominus victimam, quæ pro fide cecidit ante aram. Fulget ampliùs gloriæ ſpecioſitas, ubi viguit defectibilis atque indeclinabilis mortalitas: optatque Iobus in gloriam non aliam, ſed ip-

Iob. 19. 26.
Immortalitas plus lucet in ipſa morte

ipſam pellem ; ut immortalitas plus luceat per ipſam mortem. *Pellem pro pelle dabit homo.* Aliter Deus. Ipſam pellem concedet, dum in gloriam animæ corpus aſſumpſerit ; ut floreat magis æternitas, ubi cadente carne, viſa mortalitas. Ipsà pelle, ut ibi ſit amplior gloria, unde corporis ſaucio crudelior pœna.

Cap. 2. 4.
Et ex ipſa.

16 *Circumdabor pelle mea.* Nequaquàm gloriæ optatæ videtur demonſtratio, cùm à planta pedis uſque ad verticem percuſſus iaceret ulcere peſſimo. Ideo maior gloria, ſiquidem pellis undique perforata. Unicus ictus etſi graviſſimus non exercet patientiam, nec in patientiam demonſtrat conſtantiam ; quoniam dirimit agonem ob doloris brevitatem. Senſibilior videtur, quia corruit corpus ; ſed non ita, quippequàm illo amittitur ſenſus.

Unde corporis pœna, maior gloria.

Minimumque in morte virorum
Lucan.
Mors virtutis habet. Pietas ferientibus una
Non repetiſſe fuit.

Ait Lucan. lib. 4. Bell. *Pharſ.* v. 558. Dirior eſt ictus lethalis, quàm ictus mortis; igitur amittuntur in unica vita tot vitæ, quot interpolantur morulæ. Unde crudelis Caligula (ut refert Suetonius in eius *Vit.* cap. 30. idem Auguſtinus de Mario lib. 3. *Civ. Dei.* cap. 17.) quemdam minutis crebriſque ictibus impulit mori, dicens Centurioni : *Ita feri, ut ſentiat mori.* O ingenium ſævitiæ ! O theatrum patientiæ!

Cur dirior ictus lethalis, quã ictus mortis?
Sueton.

Lucan.
Moremque nefandæ
Dirum ſævitiæ pereuntis parcere morti.

Canit idem. lib. 2. v. 179. Ita mori, quia difficile ferri, eſt ſanè vincere ; etenim iuxta certamen cognoſcit theatrum decertantis virtutem, ac iuxta fortitudinis geſta, datur corona. Hinc Iobus corporis operiens felicitatem, propriam dumtaxàt deſiderat pellem ; quæ quidem penitùs conciſa vulneribus, & detrita paulatim acutis ictibus: igitur quò mors dirior, gloria maior : & tantò lucidior in gloria pellis occiſi corporis, quantò diſrupta vulneribus à planta pedis.

Quò mors dirior, gloria maior.

17 Pellis integra Progenitorum apud Aſſyrios, ut obſervat Libanius *Tom.* 2. *Orat.* 10. non erat decori geſtantis, quippe virtus Maiorum cognoſcebatur ex pellium detractarum ſciſſuris. Perſpicuiùs Bartholomæi claret inſignis virtus, ubi vulnus totum corpus. Non eſt fortitudo eximia, vitam dare, ſed gradatim amittere ; quia tunc non cruciantur membra, ſed ſenſim obeuntis vulnera : & pro inſigni gloriæ, proprià circumdatur pelle ; etenim ſi in pelle cognoſcuntur vulnera, & ex vulneribus gloria, nulli gloria maior, dum in unico vulnere, pelle detractà, vulnerum omnium videretur ſplendor. Meliùs canam, quàm Lucanus ubi ſupr. lib. 2. v. 177.

Liban.
Virtus cognoſcebatur fortium, ex ſciſſuris pellium.

Gloria Bartolomæi unde magna.

—— Laceros artus, æquataque vulnera membris
Vidimus, & toto quamvis in corpore cæſo
Lucan.
Nil animæ lethale datum.

DIDASCALIA VIII.

Martyres veſtiuntur pretioſà purpurà & verà.

1 AStruit Hieronymus *Epiſt.* 70. Patet veritas, ut fulgeat novarum purpurarum claritas. A mari Tyrio nato Domino N. Ieſu-Chriſto, aufugiſſe purpuram illam pretioſam, tot ſæculis & meritò decantatam, aſſerit Chriſtianus Adrichomius *Theat. Terræ Sanct.* in *Aſer.* Naſcebatur caput Martyrum, in quibus ſemper glorioſum : & omninò oculos hominum fugit ; ne purpura iuxta purpuram palleſceret, & quæ utpotè pretioſa ſpectatio fulſerat æſtimationis, abijceretur ut vilis. Adagium olim erat : *Purpura iuxta purpuram,* ut videri licet apud Eraſm. in *Chiliad.* 2. Centur. 1. n. 74. Vopiſcum in *Aurelian.* Saävedr. in *Idea Princip.* Symbol. 16. ac Solorzan. *Emblem.* 34. num. 22. Ut ergo conſtet, quænam pretioſior & lucidior ob ſanguinis gloriam, apponamus igitur purpuram iuxta purpuram.

Hieron.
Adrichon.
Nato Domino fugit purpura à mari Tyrio.
Eraſm.

2 Purpuras deſcribit Paulus dicens: *Alij ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres : lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* Perpendamus ſingula, ut rutilent pretioſiora. De Purpura refert Raviſius Textor in *Officin.* lib. 7. cap. 41. *Eius cruori maxima dignatio, præcipuè ſi lapidis ictu cædatur:* Prima purpura fuit Stephanus, inter Martyres primus: igitur ut ampliorem haberet nitorem & gloriam, inter lapides purpuream efflavit animam.

Hebr. 11. à n. 36.
Stephanus quare purpura prima.
Raviſ.
Purpura illuſtrior ſi lapide cæditur.

3 *Byſſus & purpura indumentum eius.* Singularis ornatus, ubi videtur, ſicut Sponſus candidus & rubicundus. Unde ergo ? Dum purpura nato Domino à mari fugit, nobilior apparuit. Pretium quod à ſanguine purpuræ, futurum erat ab hominis ſanguine : & ut Chriſtus veſtibus ſpecioſè fulgeret, Stephanus ſanguinem è venis emi-

Prov. 31.22.
Chriſtus apparuit candidus à Virgine, rubicundus Stephani ſanguine